

» salute animae sperent, nisi ante finem vitae poenitentiam agentes  
» apostolica fuerint auctoritate absoluti. Universitates vero sciant  
» sibi divinis penitus interdictum : et nisi se correxerint, divinam  
» expectent ultionem. Et nihilominus earum singulares personae  
» paribus excommunicationis sententia et aliis poenis, quibus alii  
» excommunicati praedicti exinde innodentur. Et ut praemissa  
» omnibus innotescant, universis et singulis patriarchis, archiepi-  
» scopis, episcopis, patriarchalium, metropolitanarum et aliarum  
» cathedralium et collegiatarum ecclesiarum praelatis, capitulis et  
» personis aliis ecclesiasticis etiam quorumvis ordinum etiam men-  
» dicantium religiosis, exemptis et non exemptis, per universum  
» orbem et praesertim in Italia constitutis mandamus quatenus ipsi  
» et quilibet eorum sub similibus censuris et poenis per eos et  
» singulares personas eorundem capitulorum, si postquam vigore  
» praesentium requisiti fuerint infra tres dies, quorum unum pro  
» primo, et alium pro secundo, ac reliquam pro tertio et perem-  
» ptorio termino canonica monitione praemissa assignamus, non  
» paruerint, eo ipso incurrendis, eosdem ducem, consiliarios et  
» commune Venetiarum et singulares ejusdem communis personas,  
» officiales, provisores, consiliarios, fautores, adhaerentes, compli-  
» ces et sequaces eorum ac alios monitos praefatos, decursis eis  
» assignatis terminis praedictis si non paruerint, in eorum eccle-  
» siis, dominicis et aliis festivis diebus dum major inibi populi  
» multitudo convenerit ad divina, cum crucis vessillo, pulsatis  
» campanis et accensis candelis ac demum extinctis et in terram  
» projectis et conculcatis, et cum trina lapidum projectione aliis-  
» que in talibus servari solitis caeremoniis, excommunicatos publi-  
» ce nuncient ac faciant et mandent ab aliis nuntiari et ab omni-  
» bus arctius evitari, necnon omnibus aliis Christifidelibus, ut eos  
» evitent. Et pari modo sub praedictis censuris et poenis praesen-  
» tes litteras vel earum trasumptum sub forma infrascripta factum,  
» infra terminum trium dierum, ut praefertur, praefixum, in ec-  
» clesiis, monasteriis, conventibus et aliis eorum locis publicari et